

1537. CRISII.

Decreta in Generali SS. & OO. Crisii A. 1537 servata Congregatione sancita.

Gracias agimus Sacratissime Regietati domino nostro graciousissimo, eiusque beneuolenciam et graciousam liberalitatem in nos ostensam Fideli obsequio reservare studebimus: Quod Majestas sua defensionem nostre providere, dominumque Caczyaner, Capitaneum sue Maiestatis generalem, cum gentibus ad Confinia huius miserrimi Regni mittere dignata est, quem beniuolo atque diligenti animo excepimus, cum Condicionibus infrascriptis, quibus dominus quoque Capitaneus consensit.

Quia dissensiones inter plerosque ex nobis per hec tempora orte componi sedarique minime poterant, erant autem maximo obstaculo omnibus expeditionibus ad nostram defensionem fiendis, Ideo conclusum est, ut vniuersi domini Nobiles ac Regnicole huius Regni Sclauonie vsque Festum Natiuitatis domini, nunc venturum, sint inter sese pacifici. Lesiones eciam et damnificationes, quas quisque infra dominicam oculi, proxime preteritam diem videlicet nostre Congregationis, de mandato Regietatis indicte, utcumque a quocumque susceperit ac passus est, interim pacato animo ferant, et Amore sincere sese amplecti et prosequi debeant, nec alter alterum ratione quarumcumque actionum, ante prescriptum diem dominice Oculi patris, aut verbo aut factis offendere, ledereque et deturbare ausus sit.

Cum autem Regietas dominus noster clementissimus certis ex causis Banum nobis dare non potuit, et Regnum hoc Iudice suo ordinario careat, electi sunt ad dirigenda negocia Regni: Reuerendissimus Dominus Episcopus Zagrabienensis ac Magnifici Domini Ludovicus Pewkry, Franciscus Batthyany, et Petrus Keglewit, ut interim, donec Regietas Banum nobis dederit, habita mutua intelligencia nostro cum domino Capitaneo Regietatis omnibus Regni necessitatibus, ad defensionem pertinentibus, provideat et consulat.

Judicia eciam omnia ratione quorumcumque negotiorum seu actuum potenciarum a predicto die dominico oculi utrumque vsque predictum festum Natiuitatis domini emergendum, prescripti Quatuor domini, vel absentibus alijs solus dumtaxat dominus Reuerendissimus, assumptis penes se Egregijs Emerico Bradacz, Michael Raweny direttore Causarum Regietatis, Balthasare Hobetycz et Stephano Praskoczy, ac Iudicibus nobilium et ceteris sedis iudicarie assessoribus, ubicumque idem dominus Reuerendissimus deo duce constitutus fuerit, sine intermissione celebrare administrareque valeant atque possint, absentia vnius vel plurium assessorum iudicio ipsi obstante minime. Et quod onera et grauamina talium Iudiciorum in quibuscumque Causis ultra Centum florenorum et solutionem damnorum se extendere non possint, demptis Casibus facti homicidii. Amoniciones autem et Euocationes fiant pro XV die per Iudices nobilium.

Modus vero Iudicandi in Castris manebit in suo Jure exercituali atque Bellico et in manibus ac potestate domini Capitanei, et domini Ludovici Pewkry.